



Prot. N. 1621/19/I



DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis a Rev. da Teresia Stefańska, Superiorissa Generali Congregationis Sororum Carmelitarum a Iesu Infante, cuius praecipua exstat sedes in "Marki", Varsaviensis-Pragensis Dioeceseos, in centesimo eiusdem Congregationis anniversario, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a sororibus et omnibus christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die XXIX Novembris MMXX usque ad diem II Februarii MMXII lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Domus Matricis sacellum vel quodlibet templum praefatae Congregationi spectante, in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilare ritibus peculiaribusque circumstantiis, ut in supplicibus litteris iam porrectis, devote interfuerint vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilare celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti per Sororum Carmelitarum a Iesu Infante iubilaeum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XXII mensis Octobris, in liturgica memoria Sancti Ioannis Pauli II, anno Dominicae Incarnationis MMXX.

Maurus Card. Piacenza

MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarum Maior

Christophorus Nykiel

CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens